

quatuor tantum validiores, Joannis Baptista Quirini, Theodori Balbi, Angeli Suriani, Joannis Bembi sunt consecuta; adeoque hostili agmini successerant, ut e propinquo invicem tormentorum displosione quaterentur. Verum Superantio insistente, navigiis repente circumactis, in aciem ex qua digressi fuerant, Turcae se recipiunt, atque extemplo aliae triremes quadraginta prodeunt. Ipse, nullo signo timoris edito, triremes vigintiquinque ac binas galeatias sibi opem laturas a reliquo cornu avulsas intuens, remigio inhibito, subsistit; inde magno impetu delatus, nunquam intermissa tormentorum excussione, momento fere perturbatum hostem premit, ac dissipat, qui remigii velocitate fuga e nostrorum conspectu sese eripere nititur. Sunt qui affirmant ad Superantii invehentis conspectum septem ac triginta hostium triremes, ex quibus decem ac septem phanalia gestabant, fugam arripuisse. Verum cum impar viribus legatus esset, victoriam prosequi non potuit.

1572

Jacobus
Superantius
Turcas
triremes
perturbat.

Eodem tempore media, in qua federati imperatores constituerant, acies provehebatur. Uluzzalium cunctari, subsistere, vel classis foederatae ad aspectum commotus, vel praelium minime conferere ausus, cum maxime soluto remulco, navibus fere haerentibus, congregiendum esset. Eam opportunam Fuscarenus imperator configendi occasionem ratus, cum diversa ex parte Superantium pugnantem atque propellentem Turcas intueretur, remigium intendi, atque ad certamen Uluzzalium cogere exoptabat. Itaque e puppi altiori voce, ut exaudiri posset, Columnnam ad hostem invadendum invitabat. *Cur non statim adorerentur? cur victoriam, quam prope tenerent, elabi sinerent? in mediam aciem agminibus destitutam invadendum, dum agmen alterum procul circum sinistrum Canalii cornu flecteretur, alterum iam cum dextero Superantii dimicaret.* Verum Columnna certamen detrectante, praecleara contundendi hostis initia irrita fuere. In eo certe viro ingens animus, propensum in Rempublicam Venetam studium, eximia prudentia, nec facile periculorum facie concutienda inerat; quae sane ad praeclearum decus incitare debuissent. Sed quoniam, ut secus ageret, impulsus fuerit, incertum est: illud constat, literas illum ad Theupolum, Venetum oratorem, Romam dedisse, quibus nihil eo die militari disciplinae magis ad versum gestum fuisset,

Jacobus
Fuscarenus
Columnnam
ad praelium
frustra concitat.